Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

NÜRNBERG

Bibliographische Daten

Titel:	Hartmann Schedel: Liber chronicarum – Nürnberg, STN, Cent. II, 98
Signatur:	Cent. II, 98

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

Nobilitas circa hec tempora fertur introducta. Et nota quod pluribus de causis nobilitas instituta fuit. Prima fuit necessitatis: Crescente enim humano genere, cum homines ad malum proni essent, oportuit prohibere insultus pravorum adversus bonos, et ideo eligebantur aliqui vir bonus iustior ceteris atque prudentior, qui civitati preesset, virtuosos promoveret, mediocres defenderet et malos coerceret. Hinc dictus est nobilis, quasi pre aliis in virtutibus notabilis. Unde Jeronimus: Nihil aliud video in nobilitate appetendum, nisi quod nobiles quadam necessitate constringuntur ne ab antiquorum probitate degeneret. Secunda causa fuit discordia plebium, que tunc iudicium ignorabat, licet tamen inter se pacate viveret. Nam adeo crebres fuerunt, quod nihil magnipendere valuerunt, nisi quod vulgaris opinio celebrabat. Unde expediebat pro ipsarum pace conservanda, ut ex natalibus nobilium principes haberet. Tercia causa processit ex fortitudine alicuius singularis. Nonnunquam enim civitates gravate ob incursus hostiles tale edictum sanxerunt, ut quicunque patriam a talibus liberaret, ius nobilitatis pro se et heredibus suis perpetuo obtineret. Hoc modo plures nobilitati leguntur. Quarta causa ex abundancia divitiarum sumitur. Aliquando enim populares nimia penuria victualium attenuati tradiderunt se et sua alicui diviti, ut hoc pacto malum inopie temperaret, et eum deinceps velut nobilem et dominum recognosceret. Inveniuntur etiam quedam nobilitates per divinam graciam institute, licet pauce, quarum aliqua permanserunt, ut in David; aliqua cito defecerunt, ut Saul et Jeroboam, et quorundam aliorum. Plurime quoque leguntur nobilitates per violenciam et tirannidem introducte, quarum similiter aliqua statim destructe et penitus delete fuerunt, aliqua stabiles permanserunt. Et nota quod secundum veteres hystorias raro aut nunquam in paganismo nobilium stirpes perpetuate fuerunt propter superbiam et tirannidem. Multe etiam apud christianos propter eandem causam delete sunt, secundum illud Ecclesiastici x: Sedes ducum superborum destruxit dominus, et sedere fecit mites pro eis. Item nota quod nemo unquam nobilitatem odio habuit, quia est bonum per se appetibile, sicut virtus aut religio, sed multi sancti eam fugerunt ob grande periculum quod in ea latet, propter difficultatem maximam ipsi annexam. Hoc satis in sancto propheta David apparuit, quem ipsemet deus tam peculiariter elegit. Relinquitur ergo quod vix paucissimi ad tantam sublimitatem ydonei fuerunt.

Ninivem sive Ninisim trium dierum itinere civitatem grandem condidit Ninus rex Assyriorum, patre eius Belo morte sublato (ut ante patuit) et regni caput constituit, in qua dyademate suscepto duxit totam vitam in gestu. Veterem et quasi avitum gentium morem nova imperii cupiditate mutavit, inferens bella finitimis (et rudes adhuc ad resistendum populos superavit, et ad Libie finem usque pervenit). Ninus igitur primus, accessione continua possessionis firmata. Domitis igitur proximis, accessione virium fortior ad alios transiret, et proxima quaeque victoria instrumentum sequentis esset, totius orientis populos subegit. Postremo illi bellum cum Zoroaste rege Bactrianorum fuit, qui primus artes magicas invenisse et siderum motus diligentissime spectasse (ut plenius de eo patebit) quo occiso et ipse decessit, relicto impubere Nino et uxore Semiramide. Ad hanc magnam civitatem missus fuit Jonas propheta, quem Hebrei virum sanctum nominant. Is cum videret peccatores civitatis Ninive dei misericordia sua prophetia consecutores, ne videretur falso predicare ad denunciandum eiusdem civitatis interitum, fere omnino recusabat. Ideo a conspectu dei se fugere posse putavit, propter quod in mare demersus a ceto deglutitus est.



Ydolatrie scelus execrandum, quod fuit omnis mali principium, hiis temporibus initium sumpsit. Tribus maxime de causis, ut ex veterum monumentis colligere possumus, homines ad ydolorum cultum allecti: affectione, timore, adulacione, et artificum diligencia circa sculpturas.